

quos praesens scriptum pervenerit salutem in eo qui est omnium vera salus. Notum sit omnibus vir discretus Hugo filius Johannis Sartoris noster concivis pro suorum remedio peccaminum quinque solidos denariorum usualis monetae annis singulis honorabili viro domino Wolueramo plebano ac eius successoribus sanctae matris nostrae ecclesiae beatae Mariae virginis apud nos in Pirna donavit et legavit nomine testamenti, assignando praedictos v solidos eidem et suis successoribus recipiendos perpetuo in censu orti siti ante civitatem nostram, cuius medietas iure hereditario ad Hugonem praedictum pertinet et alia ad Guntherum civem socerum suum dinoscitur pertinere, horum autem v solidorum medietas per cultorem orti praedicti in festo beatae Walpurgis et alia medietas in die beati Michaelis plebano finaliter persolvetur, hoc adiecto si status orti praedicti per gwerras vel incendia vel per eventum quemcunque in deterius contingeret declinare, hoc in detrimentum plebani non cederet, sed in Hugonis praedicti et suorum heredum vel successorum, qui ex successione hereditaria vel ex emptione vel quocunque modo eiusdem orti possessores fuerint, defectum sive periculum redundabit, taliter etiam, si tota portio Hugonis praedicti vel heredum aut successorum suorum in annuo censu orti praedicti se ad v solidos extenderet, hoc totum plebano ecclesiae deberetur. Vice versa vir discretus dominus Wolueramus nostrae ecclesiae plebanus pro se et suis successoribus qui pro tempore plebani in Pirna extiterint ratione testamenti praedicti promisit, ut ad honorem dei ac individuae trinitatis singulis diebus dominicis una missa cum sequentia tempore requirente de sancta trinitate in parrochia pro Hugonis praedicti remissione peccaminum habeatur, nisi tanta sollempnitas in die dominica eveniat, quod commode haberi non possit, tunc II^a feria vel III^a proxime subsequentibus absque dilatione qualibet compleatur. Si autem dominus Wolueramus aut successorum suorum aliquis officium missae praedictae propter testamenti praedicti parvitatem vel aliam causam quaecunque renueret observare, extunc solutio dicti census, quem Hugo testamenti nomine legavit plebano, ad ipsum Hugonem et suos heredes libere revertetur. Ad evidentiam autem donationis praedictae Hugo saepedictus in nostra constitutus praesentia censum v solidorum orto praescripto resignavit, quem domino Wolueramo accedente consensu et bona voluntate nostra assigna suis successoribus perpetuis temporibus libere possidendum. In huius rei testimonium praesentem litteram scribi fecimus [et nostri sigilli] munimine roborari. Datum Pirne anno domini M^o. CC. LXXX^o. VIII^o. VI^o. Idus Septembris.

Nach dem an einigen Stellen durch Moder beschädigten Orig. im Rathsarchiv zu Pirna mit dem Stadtsiegel an einem Pergamentstreifen.